Quelle: https://manuscripta.at/?ID=38221
Copyright: Salzburg, Erzabtei St. Peter, Benediktinerstift, Bibliothek



circumdederunt ei. & plectentes coronam de spinis posuerunt super caput eius. & harundinem in dextera eius. & genuflexi ante eum inludebant dicentes. Haue rex iudeorum. Hoc marcus eodem loco nam uerba tradidit. Milites autem duxerunt eum in atrium praetorii. & conuocant totam cohortem. & induunt purpuram & imponunt ei plectentes spineam coronam & coeperunt salutare eum. Haue rex iudaeorum. Et percutiebant caput eius harundine. & conspuebant eum. & ponentes genua adorabant eum. Intellegitur itaque quod matthaeus dicit. clamidem coccineam circumdederunt ei. Hoc marcus diuisse indutum purpuram. Proregia enim pure clamidis illa coccinea. ab inludentib. adhibita erat. Et est rubra quae dicitur purpura coccosimillima. Potest etiam fieri ut purpuram & iam marcus commemorauerit. quam clamidis habebat quam uis. & coccinea. Lucas hoc praetermisit. Iohannes autem antequam diceret quod eum pilatus crucifigendum tradiderit commemorauit hoc dicens. Tunc ergo adprehendit pilatus ihm & flagellauit & milites plectentes coronam de spinis imposuerunt capiti eius. & uestem purpuream circumdederunt eum. Et ueniebant ad eum & dicebant. Haue rex iudeorum. & dabant ei alapas. Unde apparet matthaeum & marcum recapitulando ista commemorasse. Nonquod tunc factum sit cum eum pilatus iam crucifigendum tradidisset. Iohannis enim apud pilatum dicit. Haec gesta satis euidenter. Unde ista quod praeterierant recoluerunt. Ad hoc pertinet & iam quod consequenter dicit matthaeus. & expuentes in eum accepe runt harundinem. & percutiebant caput eius. & postquam inluserunt ei exuerunt eum clamidem. & induerunt eum uestimenta eius. & duxerunt eum ut crucifigerent. Hoc quod exuerunt clamidem. & induerunt eum uestimenta eius. Infinem facti intellegitur cum iam ducerent ur.